Sacerdos namque ingrediens et egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur, quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine praedicationis sonitu incedit. Sed quia non interius sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Obsecranda est nobis divina clementia ut quod per nos loquitur in auribus vestris, per sancti spiritus organum infundat cordibus vestris. Qui cum coaeterno patre et spiritu sancto vivit et regnat deus per secula seculorum.

## Exhortatio augustini ad comitem carissimum

O mi frater, si cupias scire quamvis ego nesciam, quae perfectissima atque plenissima sit iusticia. Iusticia est deum ex toto corde amare, illique tota adherere voluntate, quod est summum bonum. Summum vero amare bonum summa est beatitudo. Qui deum amat bonus est. Si bonus, ergo et beatus. Quanto quisque ardentius amat, tanto melior efficitur. Ut tamen hoc beatissimo bono habundare te faciat, karissime frater, ipse qui est hoc bonum, cottidianis precibus integro cordis desiderio eum et si indignus deprecari studeo. Tu vero frater intellige quod consilio sanctae trinitatis et opere divinae maiestatis creatus es. Ex primoque conditionis honore intellige quantum debeas conditori tuo, dum tantum in conditione mox dignitatis privilegium praestitit tibi conditor aeternus, ut tanto eum ardentius amares, quanto mirabiliorem te ab eo conditum esse intelligeres. Nec hoc solum quod consilio sanctae trinitatis sic excellenter a conditore conditus es, sed etiam quod ad imaginem et similitudinem suam ipse creator omnium te creavit, quod nulli alii ex creaturis nisi homini soli concessit. Et haec est imago unitatis et trinitatis omnipotentis dei, quia anima tua habet in se, primum quod secundum deum vivit ac sapit, secundo quod ad imaginem tui creatoris condita est.

Et cum licet unus appelleris homo, tres tamen habes a patre et filio et spiritu sancto concessas dignitates, id est intellectum, voluntatem et memoriam. Quod idem licet aliis verbis in evangelio designatur cum dicitur: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis. In his namque tribus imaginem conditoris nostri mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animae dignitatibus iubemur diligere conditorem, ut quantum a nobis intelligitur diligatur, semper in memoria quod recipit habeatur. Nec solum sufficit nobis deum intelligere, nisi fiat in amore eius voluntas nostra, immo nec hoc sufficit, nisi cum memoria et voluntate opus addatur. Tuo vero capiti, frater karissime, gratia spiritalis scientiae addatur, quae mentem tuam

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_295/0099
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG